B. N. C
FIRENZE
1067
25

Google

1067. 25

1007
25

Digitized by Google

XXV
[illegible]

Digitized by Google

AGELLIUS VINDICATUS,

SEU

JUSTI VICECOMITIS IGNORANTIA,

ET MALA FIDES

Exibillata.

EPISTOLA

AD NOBILISSIMUM VIRUM

T. P. C. C. A. M.

Compoſita dicta ex pectore evoluunt ſuo,
Sic multi, animus quorum atroci junctus malitia eſt,
Quæ cum componas, dicta factis diſcrepant.
Ex Luccii Accii fragm.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1879

ROMÆ, ANNO MDCCII.

1067 . 25

Digitized by Google

Typographus Lectori.

Con-venientibus non rarò in meam Officinam Eruditiſſimis Viris, iiſque perſæpè indignantibus, quòd quidã Juſtus Vicecomes edito libello pronunciarit Colonias fuiſſe gradum ad Municipia, atq; ideò Cl. Virum Antonium Gattum contra inclytam Ticinenſem Urbem injurioſè feciſſe, cum ſcripſit eam Romanorum Municipium, & Coloniam fuiſſe, fortè evenit, ut illuc allata M.S. epiſtola Cl. Viri Polydori Tardiolæ, quæ malæ fidei contra Papienſes Juſtum Vicecomitem arguebat, inter manus Literatorum non ſine excipientium plauſibus verſaretur. Videbatur illi elegantiſſimo cætui, idem ferè contigiſſe in hac re, ac Aſino illi apud Cumanos, qui referente Luciano, faſtidio ſervitutis, è præſepio in ſylvam aufugiens, ibique Leonis exuvias, caſu ſibi oblatas indutus, clamore, atq; habitu Leonem adeò ſimulabat, ut Cumanis, qui Leonem adhuc non noverant facillimè imponeret; Verùm perſonam, quam induerat non diu ſuſtinuit inconſultiſſimum animal, fraudem

 omnem

omnem hoſpite quodam detegente, qui probè dignoſcens quid inter leonem, & aſinum intereſſet, cum fuſtè lautè acceptum Domino reddidit, vel invitum. Horum ego doctiſſimorum Virorum conſilio fretus ſtatui publici juris epiſtolam facere, hoc præcipuè ſpectans, ne quis ſcilicet in poſterum futilium verborum apparatu captus facilè induat animum credere municipia eſſe præſtantiora Coloniis, & malè cum iis Urbibus agi, quibus Scriptores dignitatem municipiorum tuentur, & jus Coloniæ probabilibus (nihil enim certi de hiſce rebus affirmari poteſt) nixi fundamentis concedunt. Interim Juſtus Vicecomes acri ſale perlutus adjuvabitur, & diſcet inclytas Urbes candidiore ſtylo laudare, nec ipſis fucum facere. Vale.

Libel-

LIbellum, cui Titulus eſt : *Coloniæ Ticiniæ Romanæ commentum exſuflatum. Diſſertatio Juſti Vicecomitis pro Regia Ticinenſi Urbe adverſus Cl. Virum Antonium Gattum*, mihi à te nuper miſſum, Nobiliſſime Vir, libenter accepi, ipſumque avidè legi, ut mihi mandaſti. Da tamen veniam precor, ut diſſertationem iſtam non pro Urbe, ſed contra Urbem tuam ſcriptam affirmem; potiùs enim author mihi viſus eſt inſudaſſe in evertendis Regiæ Papienſis Urbis laudibus, quàm in defendendis. Laudari idcircò non poteſt eorum bona, imò aurea fides, qui licèt hoc ſæculo nati, plauſibus tamen, & muneribus exceperunt opuſculum hominis, qui ut tantæ Urbis Hiſtoricum inſimularet, ejuſque jam undequaque receptam authoritatem everteret, Vobiſque, Nobiliſſimis Civibus, illuderet, finxit ſe gloriam Patriæ tuæ tueri velle, de qua tamen detrahebat. Diſſimularem libentiſſimè hæc omnia, Vir amiciſſime, niſi tu mihi impoſuiſſes, ut ſententiam meam in hac controverſia tibi aperirem, & è re literaria omninò eſſe cenſerem, calumnias, & malam fidem, quibus ſcatet libellus iſte patefacere, ut in poſterum, Vos Papienſes, à liberculis hujuſce notæ hominum caveatis, & quoſdam aliquando pœniteat, tam parùm cautè injurias, donis, & plauſibus excepiſſe. In hac epiſtola brevis ero, nec fabulis claros homines compellabo; multò minùs dicteriolis, & inanibus, ac malè fartis proverbiis in rem, aut in perſonam rhetoricabor, tùm quia ego cauſſam D. Gatti non ago, tùm quia tibi, cui uni ſcribo epulas paulò ſplendidiores, & lautiores parare mihi non vacat. Antequàm tamen de diſſertatione Coloniæ Ticiniæ verba faciam, aliqua mihi de altero Juſti Vicomitis libro, qui ad ejuſdem animum contra Papienſes agnoſcendum conducit, dicenda ſunt.

I. Cum viderit Juſtus Vicecomes, ſe de illis, quæ adverſus Ticinenſem Urbem, & Cl. Virum Antonium Gattum pro *Secundæ Romæ* encomio Papienſibus arripiendo conſcribillaverat, juſtiſſimè admonitum a Stephano Abdua (cujus laudatiſſimam admonitionem Juſtus Vicecomes temerè vocat quiſquilias) & Bernardini Corii graviſſimi, cœteroqui de Patriæ rebus Hiſtorici in illa re fidem everſam, omiſſa quæſtione de *Secundæ Româ* ſibi ſolus plaudens, & triumphos antè victoriam cum Sitono canens Corii vindicias adversùs actionem Vidæ aggreſſus eſt. In hoc ſtudio Juſti Vicecomitis conſilium fuit ſpurciſſima in Vidam convicia ambabus buccis evomere, ut in odium æquè Cremonenſium, ac Papienſium inferret nuſquam Corium erraſſe;nam secùs auras diverberaſſet in probandis iis, quæ à nemine erant in controverſiam vocata, cum nec Gattus, nec Abdua protulerint Corium nuſquam vera ſcripſiſſe: quæſtio fuit an juſtè ſcripſerit Gattus Corium temerè Ticino ſuum carmen arripuiſſe, & an exprobrandus fuiſſet, quando etiam exaraſſet aliquando lapſum fuiſſe. Verùm Vicecomes probare aſſumpſit in 1. ſua diſſert. Ticinum nunquam potuiſſe dici *Secundam Romam*, cujus injurioſum ſcribendi modum cum caſtigaverit Abdua adversùs eum probare contendit Vicecomes Corium fuiſſe nobiliſſimum (quod nemo negavit) & in re hiſtorica nunquam mendacem. Hoc verò an demonſtraverit actis cauſidicorum,aut probris, aut jurgiis in Vidam, & Gattum projectis, vel ipſi Naſutuli judicarunt. Notum omnibus eſt Corium non ſolùm in exteris, ſed quod maximum eſt, in Patriis rebus ſcribendis lapſum fuiſſe; quemadmodùm conqueruntur ipſi Mediolanenſes Hiſtorici, qui contra Corium graviſſimè inſurrexerunt; quorum dicta, ſi perquirere piget in eorum libris,

indi-

indicabit tibi Eruditus Vir Joſeph Antonius Saxius Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectus in Diſſertatione Apologetica pro vindicanda Mediolano poſſeſſione SS. Corporum Gervaſii, & Protaſii, ibi enim reperies N. LIX. *Corium mendaces aſſertiones ſuæ hiſtoriæ inſerviſſe.* N. CII. *Aperto nimis animo, & abſque ullo examine tranſmiſſa ad ſe Germanorum ſcripta ſuæ ſtatim hiſtoriæ innexuiſſe.* N. CLI. *Non valdè fuiſſe ſollicitum, ut accepta exterarum Urbium documenta expenderet, ſed primo in aſpectu hæſiſſe abſque ulla ſuſpicione, & indagine.* Corium *prorsùs erroneè ſenſiſſe S. Nazarii Corpus An. DCCLXIV. fuiſſe translatum Laurishamenſem in Urbem, propterea non immeritò reprehendi à Carolo à Baſilica Petri, & in hac re, prout in aliis quibuſdam non ſatis conſideratè ſcripſiſſe, & nullius momenti eſſe in aliqua re Corii teſtimonium.* Et N. CLII. *Corii teſtimonium ambiguam habere, obſcuramque fidem.* Quod fuit Ripamontii de Corio judicium. Quarè conſtat Juſtum Vicecomitem in Vindiciis Corii quæſtioni non inſtitiſſe, demonſtrando eum eſſe optima fide Scriptorem, cum debuiſſet probare in omnibus ſemper vera, & nunquam dubia, ſeù falſa ſcripſiſſe, ut indè jure, & merito compellaret Gattum, quia poſt tot graviſſimos Mediolanēſes Hiſtoricos dixit Corium inconſideratè aliquando loqutum, ideſt temerè tribuiſſe Mediolano carmina, quæ leguntur Papiæ ſcripta de *Roma ſecunda*: Quæ omnia etiam quando favere voluiſſent Juſto Vicecomiti, obſervare poterant ad lectores inſtruendos pro ſua religione diligentiſſimi alioquin, & eruditiſſimi Effemeridum Veneti Compilatores tom. ix. Art. xi.

II. Poſt ſuas Corii vindicias, cum viderit Juſtus Vicecomes, nihilominus firmam remanere Ticinenſi Urbi laudem *Secundæ Romæ* calamum contra eam continuò detorquens ad arripiendum ipſi Coloniæ Romanorum

encomium infenſum animum, mentemque convertit, quod, ut per cuniculos aſſequeretur, & publicam declinaret invidiam, finxit Gattum injuriis proſcidiſſe Papienſes cum Hiſtor. Gymnaſ. Ticin. cap. II. examinata Pyrhi Ligorii ſententia de Colonia Papia, in fine addit: *Interim verò omittendum mihi non eſt Urbem hanc fuiſſe vetus Municipium Romanorum, quod ſe vidiſſe in antiqua inſcriptione teſtatur Philippus Cluverius, & Coloniam.* Hæc tantùm ſcripſiſſe legimus Gattum. Attamen eum in judicium vocat Juſtus Vicecomes, quia injuriis proſcidit Ticinenſem Urbem eam appellando Coloniam, *dùm nemo licet Papienſium hoſtis hoc ſcripſerit*: Et ſcribendo Ticinum fuiſſe Municipium, & Coloniam, *aberravit à legibus Municipiorum*, quæ fuiſſe ait *poſteriora; & ideò præſtantiora Coloniis*... Recito Juſti Vicecomitis verba, ut mirari poſſis, hæreo adhuc an dicam craſſam ejus Minervam magis, an omnem ſupra modum audaciam, qua præfractè, & temerè ait. *Si hac forſitan in materia, & in hiſtoriis maximè Papienſibus plus lucernæ, atque olei conſumpſiſſet Doctiſſimus, cæteroqui Antonius Gattus probandum ſibi priùs erat Ticinum Regium fuiſſe Romanorum Coloniam, quam Municipium, cum longè præſtantior; ac optabilior municipiorum conditio fuerit, quàm Coloniarum*. Et infra: *Colonia Romana gradus olim erat, quodammodo ad municipium . . . . Quare cum primo loco ſcripſerit Gattus Ticinenſes Municipes fuiſſe, & poſtea Colonos evaſiſſe notat, non levi ipſos injuria proſcindit, dum fatuitate, vel amentia, quod nemo hucuſque licet Papienſium hoſtis ſomniavit, celeberrimi eorum majores laboraſſe videntur*. Hæc Juſtus Vicecomes; Qua verò bona fide, doctrina, & juſtitia hæc omnia protulerit Ticinenſis gloriæ defenſor apertè dignoſces.

Ad probandam municipiorum præſtantiam ſuprà colo-

colonias adducit Agellii locum Noct. Attic. lib. 6. cap. 13. ubi Hadrianum Cæſarem admirari ait, *quod aliqua municipia antiqua, quum ſuis moribus, legibuſque uti poſſent in jus coloniarum mutare geſtiverint*. Hinc jus municipiorum infert fuiſſe nobilius; & Suetonii, & Tullii authoritate ſuam hanc hariolationem fulcire conatur. Locus Agelii relatus à Juſto Vicecomite ex libro 6. cap. 13. ibi non reperitur, cum hoc loco doctiſſimus auhtor agat de quæſtiunculis apud Taurum Philoſophum in convivio agitatis, quæ ſympoſiacæ vocantur. Extat tamen in libro 16. cap. 13. qui lapſus cum in errorum correctione non legatur expoſitus ab homine, qui in puncta, & commata animadvertit, ut in latina lingua Beelphegor videatur ejuſdem malitiam arguit, quam mox adduco. In hoc proximè citato loco explicat Agellius quid ſit municipium, & quid à Colonia differat; & quid ſint municipes, quæue ſit ejus vocabuli ratio, ac proprietas: atque inibi quod D. Hadrianus in Senatu de jure, atque vocabulo municipium dixit, refert. Igitur in hoc capite docuit Agellius: municipium melioris eſſe conditionis, quàm colonias, quoad vectigalia, & tributa; *Neceſſitatibus enim Populi Romani, neque ulla lege erant adſtricti, cum nunquam Populi Romani eorum fundus factus eſſet*. Verum, quoad honorem, & dignitatem alia res eſt. Refero ipſius Agellii verba, quæ optimis Papienſibus reticuit ſubdolus Diſſertator, ut eos in illam ſententiam traheret quæ minus ipſis eſſet glorioſa, ut indè eorum bonam fidem cum Gregalibus ſuis, quemadmodùm ſolet, exibilaret. *Sed Coloniarum, ſequitur Agellius, alia neceſſitudo eſt. Non enim veniunt extrinſecus in Civitatem, nec ſuis radicibus nituntur, ſed ex Civitate quaſi propagatæ ſunt, & jura, inſtitutaque omnia Pop. Romani non ſui arbitrii habent*

 Quæ

Quæ tamen conditio cum ſit magis obnoxia, & minùs libera potior tamen, & præſtabilior exiſtimatur, propter amplitudinem, majeſtatemque Populi Romani, cujus iſtæ Coloniæ, quaſi effigies parvæ ſimulacraque eſſe quædam videntur, & ſimul, quia obſcura, oblitterataque ſunt municipiorum jura, quibus uti jam per ignorantiam non queunt. Hinc clariſſimè evincitur, quanta ſit firmitas frontis Juſti Vicecomitis, qui auſus ſit Papienſibus venditare, Agellium docuiſſe laudabilioris conditionis fuiſſe municipia, quam colonias; & in ſententia ipſius Agellii debuiſſe Gattum probare Ticinum priùs fuiſſe Coloniam, quàm municipium: quum ipſe Agellius in lacinia mutilatè producta ab ipſo dulciſſimo Diſſertatore apertè demonſtret, municipia fuiſſe antiquiora coloniis. *Quædam item alia municipia antiqua, in quibus Uticenſes nominat, quum ſuis moribus, legibuſque uti poſſent in jus coloniarum mutare geſtiverint.* Enim verò, quomodo mutare potuerunt jus municipii in jus coloniarum, niſi priùs extitiſſent municipia? Attamen licèt ipſe Vicecomes ab Agellio prædicta tranſcripſerit, ac evulgaverit, non erubuit ea, qua vidiſti conſtantia aſſerere, Colonias fuiſſe gradû ad municipia, & Gattum malè meritum de Ticino, quum ſcripſit fuiſſe municipium, & Coloniam.

Tran. *Viden pictum, ubi ludificatur cornix una vulturios duos?*
Cornix aſtat: ea vulturios duo viciſſim vellicat.
Quæſo huc ad me ſpecta, cornicem ut conſpicere poſſies.
Jam vides? Theu. *profectò nullam equidem illic cornicem intuor.*

Dici jure poteſt cum Plauto.

III. Sed magis vir amiciſſime ſummam hinc naſutuli hominis confidentiam intelliges, quod Roſini antiquitates, etſi ſe percurriſſe oſtenderit in ſuo liberculo noluit

luit, tamen agnoſcere præexcellentiam Coloniarũ ſupra municipia, quam idem laudatiſſimus author ſequutus ipſum Agellium demonſtravit : Nam lib. x. cap. xxii. Agellii verba refert ad dictam differentiam comprobandam, & cap. xxiv. ubi agit de Republica Coloniarum, & municipiorum, ſatis luculenter oſtendit, quibus legibus, magiſtratibus, & honoribus fruerentur coloniæ, & quibus municipia. Quinimò non ſemper veteres Cives in Coloniarum deductione, mixtim ſacra, & leges cum Romanis habere permittebantur : Tum id conceſſum cum jura Quiritium tributa coloniis, ſcilicet Romanis, non latinis. Itaque Antiatibus uti jure Quiritum ſi vellent permiſſum : prout docet Sigonius de veteri jure Italiæ lib. 2. cap. 3. Quamobrem cum Juſtus Vicecomes Agelii ſententiam corruperit, benè ipſi convenit, quod de Fidentino ſcripſit Martialis:

Quem recitas meus eſt ò Fidentine libellus,
Sed malè dum recitas incipit eſſe tuus.

Et fermè quis excuſare poterit hominis ignorantiam, cum vel ipſis Ephebis notiſſima ſit Siculi Flacci, quem circa Domitiani ævum vixiſſe ſcribit Rigaltius in notis ad leges Agrarias, Coloniarum definitio in ſuo opere de conditionibus agrorum pag. 2. *Coloniæ autem inde dictæ ſunt, quòd Populi Romani in ea municipia miſerint colonos, vel ad ipſos priores municipiorum Populos coercendos, vel ad hoſtium incurſus repellendos. Et infra. Gracchus colonos dedit municipiis, vel ad ſupplendum civium numerum, vel ut ſupra dictum eſt ad coercendos tumultus, qui ſubindè movebantur.* Quibus convenit alia traditio Aggeni de limitibus agrorum. *Coloniæ ſunt, quæ ex eo nomine accipiuntur, quod Romani in eiſdem Civitatibus Colonos miſerunt.* Quæ loca mirificè exornavit eruditiſſimus D. Philippus à Turre Epiſcopus Adriæ de Colonia Forojulienſi pag. 328.

Omni

Omnium verò ſuaviſſimum eſt argumentum, quod pro adſtruenda municipiorum præſtantia ſupra colonias ab ordine ſcripturæ deducit Vicecomes ex Suetonio in Auguſto : ibi ; *Municipiorum , & Coloniarum* ; ex Tullio pro P. Sextio : *nullum erat Italiæ Municipium , nulla Colonia , nulla Præfectura* ; Et in Philipp. 3. *Municipiorum , Coloniarumque Provinciæ Galliæ*. Enim verò ſi percurriſſet Agrarias leges Romanorum, illicò inſpexiſſet quam fluxum, & quam ineptum ſit in hac materia arguere ex literæ præcedentia. In fragmentis legis Mamiliæ, Roſciæ, Peduciæ, Allienæ, Fabiæ legitur cap. 3. *Quæ Colonia hac lege deducta , quodve municipium , præfectura , forum , conciliabulum &c.* In lege Agraria, quam P. Servilius Rullus Tr. Pleb. propoſuit M. Tullio Cicerone C. Antonio Coſſ. cap. 20. extat: *Quæcunque in Oppida , colonias , municipia velint , quibuſq; item agris velint Decemviri intra Italiam deducant Plebem Romanam &c.* Quare ſi Gattum erraſſe contendit Juſtus Vicecomes, quia Suetonius, & Cicero priùs ſcripſerunt municipium, quàm Coloniam ; Erraſſe Juſtum Vicecomitem, & quidem apertiſſimè probant ipſæ Romanæ leges, in quibus prior legitur ſcripta colonia, quàm municipium. Præſertim cum ſibi ipſi parum caviſſe Juſtum Vicecomitem in hoc argumento ipſe demonſtret, & ſe ipſum ſcriptura ſua confixerit : nam ſi ex præcedentia ſcripturæ majorem dignitatem ſcripti arguere lector deberet ; arguere etiã nobis liceret Juſtum Vicecomitem in ea eſſe ſententia, quod antiquior, & clarior fuerit Suetonius M. Tullio, cum hunc poſt illum referat pagina octava.

IV. Cœterum Colonias fuiſſe deductas in Municipia probat etiam elegantiſſimus Tullii locus de lege Agraria, ubi inquit : *Ut omnia municipia , coloniaſque Italiæ*

novis

novis Coloniis occuparetis ; ex quibus evincitur Colonias fuiſſe deductas in municipia, vel in alias colonias, quæ non eſſent auſpicato deductæ; ſeu non eſſent incolumes, ut explicat idem Tullius in Secunda Philippica: *Conſuluiſti me per litteras de capua tu quidem : ſed idem de Caſilino reſpondiſſem poſſetne ubi Colonia eſſet, eo Coloniam novam jure deducere. Negavi in eam Coloniam, quæ eſſet auſpicato deducta, dum eſſet incolumis coloniam novam jure deduci colonos novos adſcribi poſſe reſcripſi*. Quinimò Feſtus in tertia definitione Municipii docuit, aliqua municipia habita fuiſſe pro coloniis. *Tertio difinitur, quum id genus hominum, qui ad Civitatem Romanam ità venerunt, ſicut municipia eſſent ſua, cuiſque Civitatis, & Coloniæ*. Et quidem Coloniæ honor tanti ſemper factus eſt ab antiquis, ut plurimæ maximæ Urbes Metropoles, & Coloniæ ſimul eſſent; paſſimque colligi utramque prærogativam in nummis Antiochiæ, Tyri, Sidonis, Damaſci obſervavit eruditiſſimus Ezechiel Spanhemius de uſu, & præſtantia numiſmatum pag. 57. ideò in magno Gruteri theſauro ſæpiſſimè occurrit: *Ampliſſimus, & ſplendidiſſimus Ordo Coloniarum* ; Unde inter maximas Urbis Conſtantinopolitanæ laudes enumerat Pletho orat. 1. de Rebus Peloponeſ. quod fuerit Romanorum Colonia: *Quandoquidem*, ait, *ii, qui poſtea Coloniam hanc illuſtrem Roma Italica miſerunt, & Byzantium, adeò ampla, & pulchra acceſſione cumularunt non erant à Peloponeſiis alieni*. Et tamen oculum terræ, & novam Romam eam appellat Nazianzenus: *Viri*, inquit, *qui eſtis oculus terræ habitabilis, qui Mundum incolitis, ut video ſecundum, veſtiti ornatu terræ, & maris, nova Roma, ſedes ingenuorum hominum, Urbs Conſtantini, Columna imperii*. Quarè ſplendidiſſimæ Urbes, quæ Coloniæ decore perfulgebant, numiſmata cudebant, quibus coloniæ Na-

tales

tales cõcelebrabant inſculpto colono, ſeù Sacerdote agẽte junctis bobus aratrum, quod deductæ Coloniæ ſymbolum erat, ut conſtat apud Antiquarios, & præcipuè apud tuum eruditiſſimum Mediobarbum in Occone, qui tibi, ſi eum percurres indicabit clariſſimas Urbes, quæ fuerunt Coloniæ ductæ, poſtquam fuerant municipia; & apud Julii Frontini libellum de Coloniis ex commentario Claudi Cæſaris nonnulla hac de re adſunt exempla, quæ tibi tranſcribo. *Agella municipium, Coloni, vel familia Imperatoris Veſpaſiani juſſu ejus acceperunt poſtea ager in jugeribus militi eſt aſſignatus. Calis municipium muro ductum. Iter populo non debetur. Ager ejus limitibus Gracchianis anteà fuerat aſſignatus, poſtea juſſu Cæſaris Auguſti limitibus nominis ejus eſt renomatus. Cereate Mariana municipium: Familia C. Marii obſidebat. Poſtea à Druſo Cæſare militibus, & ipſi familiæ in jugeribus eſt aſſignatum. Dunos municipium, familia D. Auguſti condidit; ager ejus iiſdem eſt aſſignatus ſine lege.* Idem invenies de *Trebula*, & de aliis, ſed præcipuè adnotandum eſt, quod ex libro Balbi in Provincia Picena tradit ipſe Frontinus: *Marſus municipium, licèt conſecratione veteri maneat, tamen ager ejus, aliquibus locis in tribus limitibus lege Auguſtea eſt aſſignatus, limitibus maritimis, & montanis.*

V. Credidiſſem Juſtum Vicecomitem ſatis admonitum fuiſſe à Stephano Abdua, ne ſcriptorum ſententias in diverſa pertraheret, nec ſibi monſtra confingeret, quæ debellaret, ſed me falſum agnovi. Scripſit Gattus Ticinum fuiſſe municipium Romanorum authoritate Cuverii, inde addit, & Coloniam. Juſtus verò Vicecomes Gattum inſimulat, quia Ticinum vocavit Coloniam Romanam, ut indè eruditiunculas de militari, de latina, & de Romana Colonia Tyronibus, quibus ſcribit produceret; Quare ne collectanea eruditio, &

magno

magno comparata ſtudio ſibi periret proferri hæc voluit in vulgus ad captandam gloriolam, ſed hæc Vicecomiti permitti vix potuiſſent, dum

Grandes fervebant pultibus ollæ.

Trita hæc ſunt nimis, ut eruditis ſcribantur, & ſtudioſè nimis captata occaſio hæc ſcribillandi. Enimverò quis niſi ſit curandus helleboro dicere poterit Gattum ſcripſiſſe Ticinum fuiſſe Coloniam Romanam? Verba ejus ſunt: *Interim omittendum mihi non eſt Urbem hanc fuiße vetus municipium Romanorum, quod ſe vidiſſe in antiqua inſcriptione teſtatur Philippus Cluverius Italiæ Antiquæ lib. 1. cap. 26. & Coloniam, ut apparet ex inſcriptione &c.* Colonia Romana latina, & Militaris omnes æquè ducebantur ex jure Romano; Undè certum eſt quamlibet Coloniam fuiſſe Romanorum, vel quia à Civibus ducta erat, vel quia Romanis parebat; non tamen erat Colonia Romana ad differentiam latinæ, ſeù militaris. Cum ideò Juſtus Vicecomes Gatti verba ad ſuum Genium accomodaverit, ut hinc cauſſam traheret inſurgendi adversùs Ticinenſem Coloniam, ab eo cavendum eſt, ut admonet D. Auguſtinus lib. 2. de Ord. cap. 4. *Mentientes concluſiones, aut Irrepentes paulatim, vel minuendo, vel addendo in aſſenſionem falſitatis, quis non metuat, quis non oderit?*

VI. An verò D. Gattus ſatis ſolida fundamenta produxerit pro Ticinenſi Colonia à me non quæſiviſti Vir Nobiliſſime, neque hoc reſpicit argumentum præſentis epiſtolæ. Omittere tamen hic nec debeo, nec poſſum ſuperbiam Juſti Vicecomitis, qui quaſi omnia in birreto haberet penetralia Romanæ antiquitatis aſſerere auſus eſt pag. XL. nullum poſſe reperiri teſtimonium de Ticinenſi Colonia: *At nihil profectò*, inquit, *nihil mehercule, rurſuſque nihil hac ſuper re unquam nacturus eſt, vel ſi libros*

omnes

omnes, marmora omnia, omnes inſcriptiones pluſquam forex obſoniorum repoſitoria ad ultimum uſque vitæ ſuæ diem perluſtraret. O' arrogantem hominis jactationem; quæ non habet parem, niſi Juſti Vicecomitis malam fidem! Jam alias tibi, Vir clariſſime, quum in hac Urbe ad me convenires jurato affirmavi me vidiſſe, & legiſſe Authores, qui jam ſuperioribus ſæculis tradiderunt Ticinum fuiſſe Coloniam Romanorum freti antiquiſſimis monumentis: Ipſorumque loca nunc libenter producerem, niſi indignationem quorundam tuorum Civium pertimeſcerem, qui licèt ſalvum habuerint ex hiſtoria Gatti antiquiſſimum jus municipii, & ampliùs honorem Coloniæ hunc ità ægrè tulerunt, ut Juſto Vicecomite ſuadente illum noviſſimè repudiaverint, Indicabo tamen, & ſtabo promiſſis ſtatim, ac Vicecomes ſolidiſſimis, ut par eſt fundamentis (hoc enim decet hominem, qui tot retrò ſæcula introſpicit) probaverit Mediolanum fuiſſe Romanam Coloniam, & in Ouſentinam Tribum adſcriptum. Enimverò cum ipſe teſtatus fuerit pag. 40. *More hujus prudentiſſimi ſæculi, quo vivimus non poſſe Scriptores divinando ludere, atque in aere expiſcari, ſed tutiſſimis innixi fundamentis hiſtorias conſcribere debere*; non ſatis certè aſſeruit Mediolanum fuiſſe *Coloniam Romanam in Ouſentinam Tribum adſcriptum*, neq; hoc ulla probatione indigere: *Mediolanum profectò Romanam Coloniam fuiſſe, & in Ouſentinam Tribum aſcriptum, ita circum undique, vel lippis oculis patet, ut ſupervacaneum omninò foret, ſi ejuſmodi rei probandæ onus ſuſciperc hic vellem*. Etenim doctiſſimus, & ſanè patriæ antiquitatis peritiſſimus Carolus à Baſilica Petri negavit Mediolanum fuiſſe Coloniam: *Mediolanum verò non Colonia, ſed municipium fuit*. Deſcendat ergo in arenam Juſtus Vicecomes, & Coloniæ laudem, quam arripuit

Tici-

Ticinenſi Urbi Papienſibus plaudentibus, & gratificantibus ad Mediolanum pertinuiſſe probet, poſtquam hoc doctioribus Hiſtoricis id apertè negantibus, tam conſtanter aſſeruit.

VII. Quantùm lucis attulerint hæc ultima tempora Romanæ Hiſtoriæ, & quanta fuerit abavuis noſtris eruditionis obſcuritas non eſt cur probetur: parcendum ideò Papienſibus, ſi mordicus defendentes Ticinum fuiſſe municipium, fuiſſe quoque Coloniam non aſſeruerunt. Non erat propterea increpandus Gattus, qui jus municipii Ticinenſi Urbi confirmavit, & teſtimonium pro Coloniæ jure produxit. Quocirca an detrhaxerit inclytæ Urbi, cujus hiſtoriæ lumen attulit quiſq; diudicare poteſt, cui ſynciput non ſit obverſum; fraudemque Juſti Vicecomitis illicò agnoſcet, qui jus municipii, & Coloniæ tribuit Mediolano, dum laudatiſſimum Coloniæ decus Papienſibus arripit.

Ad overtendam inſcriptionē pro Colonia Ticinenſi à Gatto citatam barbariem vocabuli Ticiniæ adducit Vicecomes, quaſi æra ipſi innotuerit illius lapidis, & ſepulcrales lapides in montibus a militibus poſiti omni elegantia ſcripti eſſe debuerint, nec aurea quoque ætate latini ſermonis hujuſmodi notæ vocabula inveniantur. Veneror Juſtum Vicecomitem acutiſſimum, peritiſſimum, eximium interpretem Romanorum caracterum, ſcio, ipſum in hiſtoriis Romanis, & Papienſibus ita eſſe verſatum, ut ſi ex ejus oſſibus formarentur tibiæ, undique Ticinenſes hiſtorias perſonarent, ſed vix aliquem ſecum ſentientem inveniet quòd O. V. F. ſignificet Tribum Ouſentinam; nam O. potuit Juſto Vicecomiti ſignificare Offam promeritam, Ollam, Oſſa, Optio, Optimo, Optimo Viro, Omnibus Viva Fecit, & his ſimilia, ut in Tractatu Jo: Nicolai de Siglis Veterum agno-

viſſet

viſſet omni ævo celebrãdus novus hic antiquitatis interpres, ſi magis conſideratè ſcripſiſſet. Quòd ſi Nicolai tractatus præſto non erat, cur ſaltem non adiit Probum, qui docuit O. V. F. ſignificare Omnia Vivus Fecit, vel Optimo Viro Fecit: & ita cautiùs fortè intellexiſſet lapidem, quem poſuit pag. 33. Publio Horatio Publii Filio Optimo Viro Fabio Floro: ſed nihil hæc ad præſentem Epiſtolam nolo enim me quæſtionibus, cum Viro tam erudito, tam hiſtorico, tam docto, tam rhetoricatori immiſcere. Hæc dicta volui, ut agnoſcas nugas, quibus Juſtus Vicecomes plauſus, & encomia comparat, quæ probari nequeunt à viris emunctæ naris, quibus notum eſt Romanas Tribus initialibus quidẽ litteris indicari, ſed nullo puncto interjectis: videlicet Lem. Lemonia, Cluu. Cluuia, Stel. Stellatina, Ouf. Oufentina, prout tota perluſtrata antiquitate Romana tradit laudatus Nicolaus cap. xx. qui cap. xxi. plura ponit exempla inſcriptionum ſepulcralium, in quibus Coloniæ, ut in nummis ſimplici C. deſignantur C. B. Colonia Bononia, C. C. A. Colonia Ceſarea Auguſta, C.C.C. Colonia Copia Claudia, C. I. P. Colonia Julia Paterna, C. V. Colonia Viennenſis, & ſexcenta his ſimilia; quæ oſtendunt C. Ticiniæ, ſeù C. Ticin. non improbabiliter deſignare: *Coloniæ Ticiniæ, ſeù Coloniæ Ticinenſis, vel Colonus Ticinenſis*, ut ſenſit D. Gattus, quando etiam lapis ab eo relatus, legendus eſſet cum VVolfango Latio, & non cum Grutero. Sed ut dixi hæc nihil ad hanc epiſtolam, quia nec cauſſam ago D. Gatti, nec Coloniæ Papienſis, quam Papienſes ipſi Juſto Vicecomiti conceſſerunt. Ut tibi ſatisfacerem ea, qua potui brevitate hæc curſim attigi Vir Nobiliſſime; Dum me commendatum habeas precor. Vale. Neapolis VI. Kal. Octobris A. MDCCXII.

B 585 E 7 1007. 5.

1067. 25

Google

Digitized by Google

Digitized by Google